UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiæ Moralis Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros partitum

Laymann, Paul

Moguntiæ

9. Quibus modis immunitas Ecclesiastica violari soleat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

Visual Library

ſam cauſam ſeculari magiſtratui aliquam iuriſdictionem vel exactionem in Clericos committere aut permittere poſſunt, ſi ſine ſcandalo aut maioris mali periculo prohibere non valeant, qua ratione etiam Chriſtus tributum pro ſe, & S. Petro exſoluit, ne exactores ſcandalizaret.

Cap. IX.

Quibus modis immunitas Eccleſiaſtica violari ſoleat.

1 Eccleſiaſtica immunitas duobus modis violari poteſt, vel ſolo facto vel prætenta poteſtate ſeu iuriſdictione, qui modus violationis longè grauior eſt facto. Si clericum quis percutiat, aut tributum etiam ſimul exiguum exigat, quia iniuria grauis & percuſſio ſacrilegium.

2 Plures ſunt ſpeciales modi, quibus Eccleſiaſtica immunitas violatur. Primus: Si ſecularis Iudex Reum ex Eccleſia extrahere præſumat, præterquam in caſibus iure canonico conceſſis. Et præcipitur antiquitas, vt ſi monitus deſiſtere nolit, excommunicetur. Secundus, Si domini temporales in domibus Eccleſiarum hoſpitium ſibi vendicent, tanquam iure debitum. Tertius, Si ſecularis Iudex Clericos tanquam reos ad tribunal trahere præſumat id ſub pœna excommunicationis. Quartus, ſi temporales poteſtates Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas angariis, tributis, & exactionibus grauent. Excommunicatio Bullaris lata. Quintus, ſi exigant gabellas ab Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis pro rebus ipſarũ propriis. At excommunicatio hæc Papæ videtur hodie reſeruata. Sextus, Vſurpantes reditus

Eccleſiaſticorum beneficiorum & Eccleſiarum ſub excommunicatione bullari. Septimus, Si temporales Domini prohibeant ſuis ſubditis, ne Eccleſiaſticis quicquam vendant aut ab iis emant ſub excommunicatione ipſo facto: Si laicus bona Eccleſiaſtica contra iuris ordinem inuadat. Nam ordinariè non deſunt remedia querelam deponendi apud ſuperiorem Eccleſiaſticum. Nonus, Si ſecularis poteſtas cum authoritate ſe immiſcet electioni Eccleſiaſticæ. Decimus, Si ſecularis poteſtas ſtatuta edat aut formari faciat, quæ Eccleſiaſticæ libertati aduerſantur ſub excommunicatione bullari.

3 Statuta ſecularium interdum directè derogant Eccleſiaſticæ immunitati interdum indirectè.

4 Perſonæ Eccleſiaſticæ ad tutelam non poſſunt compelli: Agnitionis tamen tutelam legitimam Clerici ſuſcipere poſſunt & perſonarum miſerabilium.

Cap. X.

Vtrum Eccleſiaſtica immunitas per contrariam conſuetudinem tolli aut minui poſſit.

1 Eccleſiaſtica immunitas per ſolam conſuetudinem, quamuis immemorialem tolli aut minui non poteſt, ſi ſola ſit, & nullo titulo ſeu priuilegio ſummi Pontificis adiuuetur, quia id deberet fieri per modum reuocationis, interueniente patientia, ideoque tacito Papæ conſenſu, quod Papa non ſolet facere, ſed potius damnare, vel per modum præſcriptionis. Nam conſuetudo, quæ vt irrationabilis damnata eſt, non poteſt via præſcriptionis legum